

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

*Regum. 17* **I**amdudum vero cepit excommunicatio in omnes inobedientes distrin-  
gi. Quod quasi peccatum hariolandi sit, repugnare, & quasi scelus idolo-  
latræ, nolle acquiescere.

Vsum excommunicationis in publice criminosos in lu-  
cem reuocandum. Cap. III.

**V**sum ergo excommunicationis, præsertim aduersus publice criminosos in lucem reuocari conuenerit, Deinde posthac in alijs causis excom-  
municatio tantum in manifeste contumaces feratur.

Quid cauendum in decernenda excommunicationis  
censura. Cap. V.

*Ex Concil. Meld. & Al uernens. c. ne mo. & c. nullus sacerdos. q. 3. Ex conc. Lugdu. c. 1. de sentent. ex comu. in. 6* **C**Auebit autem in primis iudex, ne hanc, aliasve censuras ecclesiasticas, vel ex iniustis, vel ex leuibus causis, vel iuris ordine non seruato, vel ex odij fomite proferat vnuquam. Quum enim excommunicatio pœna sit, quæ nulla maior est in ecclesia, nec sit excommunicandus quis, nisi pro peccato lethali, quod anathema sit æternæ mortis damnatio. Nec infligenda veniat, nisi his qui aliter corrigi non possunt, debet iudex non ante excommunicari quempiam, quam cognouerit id, vel causæ grauitatem, vel eius qui extra communionem ponendus est, apertam contumaciam præcepto iusto acquiescere nolentis exigere.

Excommunicatos vitandos. Cap. VI.

*Ex Concil. Anthioch. Carthag. Arelaten. Bracharacens.* **V**olumus autem vt hæc censura ab omnibus (iure non tantum humano, sed & diuino id ipsum postulante) timeatur, vtq; excommunicati in familiari conuersatione vitentur, & a nemine recipiantur, quemadmodum antiquissima concilia sub grauis reatus incurfu id ipsum fieri præceperunt.

Non passim contra omnes delatos per Fiscales inquirendum. Cap. VII.

*c. cum oporteat. c. inquisitione. §. tertiarum dubitationum. de accusatione.* **P**rocuratores nostri Fiscales aduersus neminem inquirent, nisi quem legitima ac frequens grauat infamia, non quidem a maleuolis & maledicis, sed a prouidis & honestis iustitiæ zelo commotis suborta. Quam si non probauerint, condemnentur ipsi, non autem inquisiti in expensis. Neq; enim speciem aliquam æquitatis habet, quod ab innocentibus absolutis, quippiam expensarum nomine extorqueatur. Alioqui calumnia & iniusta diffamatio, mercedem (quod absit) haberent. Valeant ergo alij maleuoli delatores, de peccatoribus famæ, ac rei publicæ pestes. Neque enim ad petitionem eorum qui libellum infamationis porrigunt, in occulto inquirendum est super criminibus in eodem descriptis. Quum inquisitio fieri tantum debeat super illis, de quibus clamores aliqui præcesserint.

Manife